

32
EXERCITATIO MEDICA

De

1844 3
23
25
PLEURITIDE,

Quam

Sacrofancti Numinis auspicio

Consensuq; Amplissimæ Facultatis

MEDICÆ

Publicæ disquisitioni subjiciunt

PRÆSES

SIGISMUNDUS GRASSIUS,

SIL. MED. L.

RESPONDENS

JOHANNES TARNOVIVS,

Forstâ-Lufatus.

WITTEBERGÆ

in Auditorio Medicorum

d. 17. Maji.

M. DC. IL.

Excudebat JOHANNES RÖHNERUS, Acad. Typogr.

VIRIS

AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,
EXPERIENTISSIMIS & CLARISSIMIS

DN. MARCO BANZERO, AU-
GUSTANO Med. Doct. & Prof. Publ. celeberrimo
Facultat. SENIORI venerando &c.

DN. CONRADO VICTORI
SCHNEIDERO, Phil. & Med. D. ac Anatom. &
Botan. PP. celeberrimo, Facult. h. t. DECANO
Spectatissimo &c.

DN. JOHANNI Sperlingen /
Physices Profes. Publ. longè cele-
berrimo &c.

*Dnn. Patronis, Fautoribus, Promotoribus, & Præceptoribus
suis bene meritis*

Exercitationem hanc Medicam

In

Cultus, observantiæ & gratitudinis
Symbolum

L. M. Q. D.

Johannes Tarnovius,
Respond.



Præloquium.

Actorum Dignotione & Curatione maximè instructum esse Medicum vult Hippocrates, non sine ratione quam subjicit: *Ex omnibus enim ferè Morbis, inquit, Acuti præcipue & interficiunt, & maximos labores excitant, iique plurimà observatione & accuratissimà indigent Curatione.* Hinc alibi maximè commendat Medicum, qui in morbis acutis, quorum vi plerumq; homines intereunt, longè melius ceteris se gesserit. Ex Acutis autem non est postrema Pleuritis, cujus cognitionem accuratam & Theoria postulat & Praxis. Hæc ut Remedia necessaria in tempore adhibeantur. In Acutis enim præprimis, in quibus *salus ac valetudo momentis constat,* verissimum est Senis illud: *ψυχαι τῶν ἰεργασῶν οἱ καυγοῖ.* Illa, ut Præceptorum medicorum facilior & perfectior sit cognitio. Quo enim Medicinæ Proceres in illustrandis suis dogmatis utantur, Morbus alius Pleuritide nec occurrit celebrior nec frequentior. Cum igitur facilè hinc constet, quanto cum incommodo Naturam ejus & Curam ignoremus, placuit Examen Pleuritidis repetere, sine tamen prolixitatis culpâ; nisi nos in hanc præcipitasse visa fuerit accuratior Dubiorum quorundam contemplatio.

l. de Aff. int. t. 8.

de Vict. in Ac. t. 5.

Sen. de Benef. 39. Hipp. Epist. ad Crætev.

THESIS I.

Affectus hic est ex illorum genere qui à parte Affecta sortiti sunt nomen, & definitur *Inflammatiō Membrana costas succingentis à sanguine p. n. eo affluente ortum habens.* **DEFINITIO.**

A 2

2. Pro



2. Pro genere placuit Inflammatio, quæ est ratio forma-
lis Pleuritidis ut Morbi, nec injuriâ : Sicut enim Medico A-
genti magis est subjecta Pleuritis ut Morbus quam ut Sym-
ptoma, ita & Consideranti. Consentit Germanicum *Sei-
tengeschwâr*. Non negamus tamen respectu diverso definiri
posse etiam vel per Febrem, vel Dolorem tanquam Sympto-
ma evidentissimum, ex quo etiam vulgus capit hujus Morbi
tùm conjecturam tum nomen. Familiaria enim nostratibus
sunt illa, utut æquivoca, *Seitenwehe/ Seitenstechen*. Habe-
mus præeuntem *Galenum, Platerum, Sennertum, & Alios*, qui-
bus placet unum eundemque affectum definire jam à priori
per *Causam & Morbum*, jam à posteriori per *Effectus & Sym-
ptomata*.

3. *Differentia specifica* proponit *Partem Affectam & Causam
proximam*. *Pars Affecta* Pleura est. Non enim sentimus cum
Platero qui in omni Pleuritide Humida Pulmones aut solum,
aut simul cum succingente censet inflammari. Rationes
ejus videri queunt *Tr. 2. Pr. c. 10.* quibus satisfieri potest ex iis
quæ in problemate annexo diximus. Interim non negamus
Pulmones & reliquas partes proximiores non solum affici, sed
& aliquando posse simul inflammari, cum tamen major sit
Pleuræ cum Musculis interc. Vasorum communitas, quam
cum Pulmonibus, fieri non potest quin etiam frequentius il-
lis communicetur Inflammatio.

CAUSSÆ.

4. *Causa proxima & immediata* est sanguis p. n. in Pleu-
ram confluens. Ubi, cum adsit Fluxio, considerata veni-
unt tum *Movens & Mobile*, tum *Terminus à quo & ad quem*, tan-
dem *via* per quas fit motus. *Movens* elucebit ex Causarum
Remotarum scrutinio. *Mobile* est sanguis rarò talis in specie
sic dictus, plerumque peccans vel qualitatibus manifestis
calore potissimum & tenuitate, quæ sunt mobilitatis & flu-
xionis parentes: vel etiam occultis, non enim nunquam
visæ sunt Pleuritides malignæ & Epidemiæ. Nec absurdum
est admisceri posse sanguini Humores excrementitios à qui-
bus sputa colorantur.

5. *Termini-*

5. *Terminus à Quo Partem monstrat Mandantem.* Mandat autem rariùs Pars aliqua saltem, sed plerumque totum corpus, si Pleuritis sit per *πρωτοπαΐδαν*. Etsi enim Hepar calidius generet Humores Pleuritidi inducendæ idoneos, Mandans tamen hoc nomine dici non meretur. Distribuuntur siquidem Humores generati per totum corpus, unde accedente stimulo Fluxionis impetus. Si verò Malum succedat per *υπερπαιΐδαν* quod fit in *Ναδύσσ* Materiæ Peripnevmoniam excitantis in Pleuram, partem prius affectam Mandare non est obscurum.

6. *Terminum ad Quem* th. 3. Pleuram diximus & quidem carnosam seu membranofam ejus substantiam. Nisi enim in hanc excideret non fuerit Phlegmone sed phlegmonodes diathesis.

7. *Vias per quas fit Humorū motus* veñas & arterias esse quis inficiabitur? Illas nimirum quibus hæ partes nutriuntur.

8. *Causas Mediatas*, ut ordine recenseamus, discriminabimus in *Generantes & Moventes*; utrasque rursus in *Internas & Externas*.

9. *Ex Internis Generans* est viscerum talis Dispositio unde Sanguis vel quantitate vel qualitate peccans. Illorum autem calor potissimum est in vitio, unde *qui Acidum eructant non 6. S. 33. sunt Pleuritidi obnoxii*. Contra Biliosi, Juvenes.

10. *Inter externas, Aer & Victus* imprimis, vel copiosus vel vitiosus. Ex iis enim ægrotamus ex quibus vivimus. Victum innuimus talem ex quo pendent ea Sanguinis vitia quæ th. 4. descripsimus. De Porro notandum est, quod ait Hoffmannus: *Crudum in Italia cum vorat tempore quadragesimali misera plebecula cum solo pane, non ita multò post Pleuritidas aliasq; viscerum inflammationes, sæpe malignas, sæpe lethales incurrit, quod vidi quotannis.* Et hoc procul dubio pronunciandum de omnibus iis Alimentis, ex quibus viscerum & Sanguinis incendia. Ex potulentis *vinum* imprimis malè audit intemperantius haustum. Exemplis longè petitis haud opus est, nec Medicorum

dicorum testimoniis. *Pleuritide facile tentari vinolentos* loquitur *Experientia*, testatur *Philosophus*. 3. *Probl.* 1.

(a) *Fabric. c.*

3. *obs.* 39.

(b) *Forest. l.*

10. *obs.* 23.

(c) 6. *Ep. f.* 3.

§. 28 & *Gal.*

Com. 3 t. 37.

(d) *Heurn.*

in l. 5. *Apb.* 57

(e) *Sen. MP.*

de Pleur.

(f) *de A. A.*

& *L. t.* 15.

l. 1. obs. 11. *sch.*

& 16.

l. 2. Meth. M.

(a) 3. §. 7, 21.

(b) 3 §. 5, 23.

(c) *l. d. Affect.*

t. 4.

11. *Causis Generantibus* accensemur merito intempestivam Humorum retentionem, qui debebant evacuari per habitum corporis; per ulcera inveterata (a); per Hæmorrhagiam Narium (b); per Hæmorrhoides (c); per Menses (d); per Alvum, non solum præternaturaliter fluentem, (e) sed & naturaliter, juxta illud *Hippocratis* (f): *Morbi passim vagantur Laterales multi, quod se se habere necesse est, cum Alvi Dura existant.* Hoc autem vel ut signum, notatur enim viscerum calida Dispositio: vel ut Causa, quia Humores aliàs beneficio alvi liquidioris secedere consueti in corpore retinentur.

12. *Moventes ex Internis* sunt, ratione 1. *Mobilis ἀγασμὸς.* Cùm enim turgent Humores, Naturæ non semper obtemperant, ut per vias convenientes excernantur, sed impetu spontaneo quaqua versum feruntur tandemque, quâ data porta, ruunt. Ita Febres synochos, si prætermittatur V. S. facile converti in Pleuritides observavit *Forestus*. 2. *Partis Mandantis*, Transmissio: quam licet rejiciat *Planerius*, Facultas tamen Expultrix partibus deneganda non est, ob quam tanto fortius excutiunt id quod molestum est quanto sunt nobiliores. 3. *Recipientis*, vel Attractio ob Dolorem ex ictu, lapsu; calorem motu, labore, Medicamentis fuscitatum: vel Admissio ob Partis debilitatem tum nativam tum adscititiam.

13. *Moventes Externæ* ut potentissimæ sunt ita celeberrimæ. Palmam habet *Aer* peccans vel qualitatibus occultis, quorsum pertinet *Contagium*. Vel manifestis: tum calore; *Aer enim calidus Annig, tempora calida* (a) acutissimorum morborum parentes: tum Frigore; Sic Hyemis & tempestatis Aquiloniæ Morbis *Senex* accenset Pleuritides, (b) easque tum temporis oriri *maximas* asseverat & *vehementissimas* (c). Adstipulatur experientia. Mirum autem à contrariis Causis eundem produci effectum. Respondet *Heurnius*: *Æstivas esse à Causæ Efficientis potentia, Hyemales à Partis opportunitate, cui calamitosa sit Hyems.* Alii: Calorem fundere, Frigus exprimere. Nos expressione hac post habitâ credimus

dimus à Frigore retineri effluvia. τὸ γὰρ ψυχρὸν τὸ δέρμα
ὑπερκαλεῖται. Unde humorum incalescentia, Febris, Pleuritis.
Subitus imprimis Frigoris, etiam si levioris, occurfus Æstuan-
tibus perniciosissimus. Exemplo seipsum proponit *Fabricius*.

14. Pernitiem eandem minantur *Hauftus intempestivi*. Sic
vini potiones cumulatas & validas accusat *Hippocrates*. Accu-
sanda non minus ὑδρωπασία, quæ tanto periculosior, quanto
motus præcesserit violentior. Tales enim haustus perni-
ciosissimos proclamat *Celsus*, funestos *Dioscorides*. Sævissimæ
hinc natæ Pleuritidis exemplum habet *Forestus*. Duplicis peri-
culosissimæ *Fabricius*.

15. Balnea succedunt, tam Calida, corporibus plenis &
impuris nocentissima: quàm frigida, si præsertim corpus
æstuet: quantam enim hæc balnea non solum ad febres, sed
& pleuritides inducendas efficaciam habeant, eamque quo-
dammodo determinatam, testatur apud *Fabricium H.* exem-
plum aliquot studiosorum, qui simul frigidæ post æstum im-
mersi, simul etiam pleuritide prehensi sunt lethali.

16. Externarum Causarum plures habentur, quorum
cum quædam non adeò magnæ sint efficaciam quædam θ. 12. re-
censitæ filum abrumpimus, & transimus ad Differentias, quas
exhibet nobis Partis affectæ, Causarum & Sputi consideratio.

17. Ratione Partis affectæ Pleuritis dividitur in *Ascenden-
tem & Descendentem*, in *Dextram & Sinistram*, in *Simplicem &
Duplicem*, in *Legitimam & Notham*. quamvis ex mente *Galenii*
nobis persuadeamus, rarò legitimam h. e. solius succingentis
phlegmonem dari, salvis partibus vicinis, præcipuè Musculis
intercostalibus internis. Ut enim harum partium per vasa
communia communis est Nutritio, ita communis affectio.
Distentis quippe vasorum extremitatibus transudatio tam
facilis est in carnem Musculosam, quam Membranosam.

18. Ratione Causarum, in *Sanguineam, Biliosam, Pituitosam
& Melancholicam*, in *Benignam & Malignam*; hancq; ex cau-
sis vel manifestis vel occultis; in *Exquisitam & Spuriam*; in *Humo-
ralem & flatulentam*, quæ tamen non meretur nomen Pleuriti-
dis.

C. 3. obs. 40.

l. 2. de Morb.

t. 56.

l. 1. c. 3.

l. 6. c. 33.

l. 1. obs. 13. scb.

c. 4. obs. 25.

C. 1. obs. 95.

DIFFE-
RENTIÆ.

4. de Causis
P. c. 8.

dis. Tandem ratione *Sputi* in *humidam*, & *siccam*, de quibus prolixius *Sennertus* noſter.

SIGNA
DIAGNO-
STICA.

12. *Metb. c. 7.*

19. Audet gloriari *Galenus* Signorum *συνδεγνλω* Pathognomicam à se paſſim traditam tam eſſe infallibilem, ut ex illa ſcientificam Pleuritidis cognitionem ſibi vendicet, non conjecturalem. Quod licet non careat omni dubio, ad illius tamen præſcriptum ſigna recitabimus.

20. Primum, *Dolor* eſt lateris tenſivus & punctorius: tenſivus, quia ob ſanguinis affluxum & influxum diſtenditur, pars ſummè ſenſilis, punctorius ob Thoracis motum.

21. Secundum, *Febris* acuta continua, nunc ſimplex, nunc periodica pro naturâ materiæ peccantis. Illa licet plerumq; testimonio *Plateri* & conſenſu experientiæ morbus ſit primarius, augmentum tamen capit ob vicinitatem Plegmones. Non autem Vaporibus duntaxat calidis Cor feriri, ſed & ipſum Sanguinem incenſum ex parte affectâ per Cor transferri credimus.

22. Tertium, *Respiratio* difficilis, parva, frequens. Difficilis ob ſanguinem ad pulmones regurgitantem, ex quo Bronchiorum quædam obſtructio, quæ cum abſit in Pleuritide notha & flatulenta, non mirum eſt etiam abeſſe quidem Reſpirandi difficultatem non tamen parvitatem. Hæc enim ipſe diſcernit *Galenus*. Parva ob lateris dolorem, qui tanto foret vehementior, quanto major Thoracis diſtenſio. Frequens ob uſum auctum cui ſatisfacere non potuit Parvitas.

23. Quartum, *Tuſſis* quam derivat *Platerus* ex Pulmonibus ſimul affectis, alii ex conſenſu pulmonum cum Pleura, nos ex Sanguine potiffimùm, è parte affecta ad Pulmones derivato qui ſputum conſtituit.

5. *de L. Aff. 3.*

De Cauſis
Pulſ. c. 25.

24. Ultimum locum *Pulſui* damus, & vix. Placet *Mercatus* qui fatetur ingenuè, rarò Serrantem Pulſum tactu deprehendi, & fortaffe nunquam niſi per ſomnium. Ipſe quidem, ut Philoſophi, inquit, iſtud ſcimus & neceſſariò pulſum hunc in Inflammationibus reperiri credimus. Sed quî, Mercate, credamus? Niſi perſuadere poſſit Experientia, rationes certè non perſuadent Pulſum ſeu Durum, ſeu Serrinum. Hæc enim

enim omnes, quas quidem hactenus audire licuit, tanti non sunt momenti. Pulsus enim duri causa, Instrumenti durities; Duritiei tensio; Tensionis seu compressio seu repletio. Utraque non tantum occurrit in partium licet membranosa- rum inflammationibus. Accedat enim Luxationi Inflammatio, tum Arteriae & replentur & ab osse durissimo comprimuntur. Cur hic nulla pulsus Durities? Sed sit hic peculiaris aliqua compressio seu repletio, saltem erit Arteriolarum aliquot ferè capillarum, quâ quæso ratione illa continuabitur per totum genus Arteriosum? Si Aorta ipsa comprimeretur Durities esset verisimilior. At ita Pulsus tanto esset durior quanto majores inflammatae partis Arteriae. Siccitas hic ne fingi quidem potest per somnium. Consensus à Castello productus etiam inanis est. Negatur enim hypothesis, omnes Arterias habere tunicam exteriorè à Pleurà, negatur etiam Consensum hunc producere posse duritiem. Obstat, inquis, Medicorum plerorumq; Autoritas, cui reclamare nefas. Utinam verò ne tactum fefellerit præconcepta opinio! Utinam ne plures imitati sint Medicum illum apud Montanum, qui pulsum ferrinum se deprehendisse simulabat, ne illum nescivisse videretur! Sed nos interim hic ἐπιχουδον, quæ diximus contra causas saltem dicta sunt. Interim nihilominus sufficiet nobis signorum superiorum tetras, ex quibus etiam Hippocrates absque pulsu deprehendere potuit Pleuriticos.

25. Sed non sufficit signorum horundem memoria, nisi in promptu sint Affectuum affinium notæ: quod quam sit necessarium tam ad Curationem, quam ad Prædictionem, docebit Gradi Historia de Medico Pleuritico quem suus ipse sustulit Error. Hunc ne & nos erremus, cum hic bis speccare non liceat, autoritate Hippocratis ducti cognatos dolores notis suis distinctivis removebimus.

26. I. In Pleuritide flatulenta & Tussis abest & Febris & Respirandi difficultas. Dolor non adeo est constans sed vagus. II. In Nothâ, nisi vel legitima comes sit vel legitimam mentiatur Inflammationis magnitudo, quæ tamen foris se prode-

B

ret,

*Exerc. M. Tr.
5. diffic. 8.*

*Forest. l. 16.
obs. 28. Schol.
6. §. 5.*

ret, Tussis abest & Dispnoea. Febris, si qua fuerit, mitior erit, nec non dolor, isq; magis pulsabilis quam punctorius. III. *Pulmonis inflammatione*, prodit dolor vel remissior vel propè nullus, saltem non punctorius, Dispnoea major, Febris intensior, Genarum rubor. IV. *Mediastini*. V. *Diaphragmatis*. VI. *Hepatis* inflammationes facile discriminat doloris Sedes, & Species, Delirium & Alia, de quibus vid. Autores.

27. Cognitâ Morbi specie, caussarum etiam quaedam distinctio attendenda: discriminabit illas Febris species & quantitas, sputi color & sapor, Habitus corporis, Vicius præcedens, Ætas, Anni tempus & Regio.

PROGNO-
STICA.

28. Cum ex viribus Naturæ & Morbi inter se collatis prædictiones sint instituendæ, brevissimis utriusque robor considerabimus ex rebus *Naturalibus*, *Nonnaturalibus* & *Præternaturalibus*.

29. *Res Naturales* sunt potissimum Actiones Naturales, Vitales, Animales, ex quorum vigore certius tam de Virium quam de Morbi robore judicamus, quam ex Ætate, Sexu, Habitu, Vitæ genere & similibus.

30. *Rerum Non-naturalium* conditio etiam quadantenus determinat Morbi eventum. Ex Aeris qualitatibus illud est

(a) l. de Af-
fect. t. 4.

Hippocratis: Pleurisi in Hyeme magis esse periculosam (a): Eadem ratio ob quam ægri habitus densioris periculosius decumbunt (b).

(b) Coac. P.
S. 398.

Eatenus autem hoc verum est, ut etiam cum Sene nostro credamus, quovis anni tempore *Pleuriticos* & perire & superesse pos-

(c) l. 1. d. M.
t. 41.

se. (c). De Excretis; *Alvum emolliri bonum (d). Pleuritides non invalescere possunt ubi alvi liquidæ fuerint. (e)*

(d) Coac.
S. 386.

31. *Præternaturales* sunt tum Morbus, tum Morbi Antecedentia & Consequentia. Morbus ipse quo gravior, quod col-

(e) l. de A. A.
& L. t. 10.

ligitur ex gravitate symptomatum Pathogn. eò majus periculum, & contra. Ad unius tamen vel alterius Signi levitatem Morbi levitas non est æstimanda. Mitior enim potest esse Tussis & Dispnoea, si Pleura non repurgetur per Pulmo-

nes. Sic dolor potest esse remissior, si materiæ peccantis vel ad Caput vel ad Pulmone fiat *μεταστάσις*. Cavendum etiam, ne sub specie Morbi mitioris decipiat fraudulenta Malignitas: nam

tas: nam teste Galeni exemplo, *seviante maligna Pleur. agrido-3.Epid.f.2.c.3*
lorem non sentiunt Febrem adeo pusillam, ut à Medico vix
possit agnosci, in Pleuritide pestilenti sæpius observavit *Za. l.2. de Hist.*
cutus Lus. productis simul in hanc rem *Wieri & Cardani* testi. *M. Pr.20.*
moniis.

32. Ex Morbi antecedentibus Causæ sunt & Ægri Disposi-
tio. Ex causis prædicit Hippocrates, *Pleuritidem Biliosam & 3. de Morb.*
Sanguineam esse securiorem & omnium maximè sanescere. Si *t.36.*
adsit Malignitas nunquam abest periculum. Ægri prava *Coac. §.387.*
Dispositio sinistram minatur eventum. Si enim vel Cache-
xiam vel alium Morbum diuturnum excipiat Pleuritis, ple-
rumq; lethalis est.

33. Ex Morbi consequentibus sunt *Materia Excretio, Suppura-*
tio, Transpositio. I. Excretio seu sensibilis seu insensibilis omni-
um optimâ, fitque per (1) sputum, (2) alvum, (3) vesicam,
(4) hæmorrhagiam, (5) habitum corporis.

1. *Sputum* Signum primum est, ex quo tum robur Na-
turæ tum Morbi gravitas adeoque Eventus uterque colligi-
tur. Respicimus autem vel ad Excretionis modum, vel ad
Excretorum colorem & substantiam.

34. Ab Excretionis modo prædicit Hippocrates; promptè *390, 393.*
Expuere bonum (a). & quò citius eò melius (b); Malum cum b) *1. Aph.12.*
nihil expuitur (c); vel nihil effatu dignum (d); & cum nimi- *c) 2. de Morb.*
um (e); Illud enim vel virium notat infirmitatem, vel Mate- *d) Actuar.2.*
riæ inobedientiam; hoc Peripnevmoniaæ metum vel Vasis *Meth. 17.*
ruptionem. *e) Coac. §.*

35. Ab Excretorum qualitatibus: Sputum admodum san- *390.*
guinolentum & livescens, judicatur perniciosum (f); Ma- *f) ibid.*
lum æruginosum & admodum viride (g); Nigrum pesti- *g) progn. t.37.*
mum (h); Lentum, viscosum, glutinosum pravum (i); h) *Coac.*
sic & falsuginosum (k) & saporis ingrati (l). *§.407.*

36. Excretio per 2. *Alvum* & 3. *Urinam* rarior est. Non in- *i) Coac. §.*
terim ratione febris hinc nihil potest præfagiri. 4. Omnis *390. 413.*
Hæmorrhagia laudatur si sit cum euphoria, imprimis si adsint k) *Coac. §.*
signa Coctionis. Sed sanguinis è Naribus stillatio mala, quia *413.*
nihil l) *3. de Morb.*
t.33.

nihil paucum Criticum. 5. Nec *Sudor* contemnendus de
6. Ep. 6. p. 12. quo Hippocr. & Galenus: *Juvat & Sudor bonus omnis quæ sunt in*
3. de Cris. 3. *præcordiis inflammationes Ca'idas & Acutas.*

37. II. *Suppuratio* Excretionem pejor ob metum Phthiſeos.
Suffocationis & aliorum Symptomatum. Prædicatur si Ex-
cretiones dolorem non imminuant absentibus tamen signis
lethalibus. Febris & Dolor invalescens Rigorque superve-
niens suppurationem fieri notant; factam, Febris remissio
& Doloris constantia: quod expertus est ipſemet *Fabricius*
c. 3. obs. 40.

38. III. *Transmutatio* ad partes ignobiliores, ad habitum
corporis per Icterus, ad Articulos, ad glandulas melior; &
pejor ad nobiliores, Pulmones, Cerebrum &c. de quibus ac-
curatè *Sennertus*.

CURATIO.

39. Ad Curationem progressi meritò, Quid agendum,
prius veniamur, ut Indicationum methodo velut quodam A-
riadnes-filo ducti, minus aberremus. Constat autem in In-
flammationibus, Fluxionis irritamentis prius si fieri possit
sublatis, ratione Causæ Antecedent. esse *Revellendum*,
Intercipiendum, *Repellendum*, *Derivandum*; Continentis, *Eva-*
cuandum aut *Maturandum*, non neglectis interim Affectibus
aliis concomitantibus vel supervenientibus. Singula hæc,
præter Interceptionem & Repulsionem, quibus mediis & hic
sint expedienda, jam videbimus.

40. Primus scopus est *Revulsio*. Sanguis enim motu pec-
cat potissimum, qui Remedium non habet Venæsectione po-
tentius, nec tutius, nec perfectius, quod testatur omnium
seculorum observatio, comprobatur ipsa sapientissima Morbo-
rum medicatrix Natura, quæ quantocyus, ab onere se libera-
tura, Sanguinis instituit *ἀνάγκη* magis quàm alias eva-
cuationes. Non igitur illi sunt *ἰντέγη* *ἰντέγη*, qui V. S.
posthabitâ, sine exceptione *fomentis* primò tentant curam
Pleuritidis. Augetur enim ita plerumque malum & elabi-
tur medendi occasio, quæ sæpe adeò præceptum est, *ut primo fere*
die, nisi fecerit vena, conclamatum sit. Audiant isti *παρανοί-*
α *Tulpii*: *quanam, inquit, hæc est Dementia? metuis exile*
brachii

Foreſt. l. 16.
obs. 31. Schol.
Heurn. Com.
l. 1. S. 1.
l. 2. obs. c. 1.

brachii vulnusculum & leve alicujus Sanguinis dispendium, deinde incidis securè ipsum Thoracem & elicis inde non aliquot Sanguinis uncias, sed integras pelves pure refertas. Improvida Sollicitudo sevitia aded est non lenitas, nedum securitas sed speciosa temeritas. Non etiam imitandi qui Purgantia non præferunt saltem, sed in iis SOLIS, etiam præsentè plethorâ, spem TUTÆ curationis omnem collocant. Multo minus ferendi qui in Sudoriferis. Absurdus inde Galenomastix ille, qui hæc e vomuit. Ego NEMINI Pleuritico Sanguinem mitto, estque Curatio ejusmodi tuta, certa, commoda & solida. Nemo illorum perit, ubi interim sub Phlebotomo plures longâ tandem tabe pereunt & quotannis recidivam experiuntur. Ego intra paucos dies perfectè sano nec recidivam sentiunt. Nec quidem solus mea ad hoc Arcana habeo. Imò vidi Rusticum OMNES Pleuriticos tertio potu sanantem. Utebatur enim Stercore jumentis (hic opus est Oedippo) pro viro, & Caballi pro Muliere quod diluebat in Cerevisia ac colaturam expressam propinabat. Tanta scilicet est Medentum ignorantia. &c. Rationes, quas producit contra V. S. tanti non sunt momenti, ut nos à Methodo tot seculis observatâ dimoveant. Descendimus igitur ad nobilissimi Remedii usum legitimum quæsituri, Quando, Ubi, Quantum?

41. Tempus V. S. Morbi principium est convenientissimum: Viribus igitur consentientibus, quacunque horâ sectio abministranda, non expectatis Matutinis diei sequentis, cum grande sit, in Morbo tam præcipiti, paucarum etiam horarum momentum, aded ut quod vesperi facile curasses, id in crepusculo plerumque videas immedicabile & cum certâ desperatione conjunctum. Si Venter repletus sit cibus, Alvusque fecibus; illius evacuatio non per vomitum sed coctionem expectanda, hujus per Clysteres. Interim Extremorum Ligaturæ Sanguinis affluxum ad locum affectum nonnihil morabuntur. Si autem nimia advertatur Sanguinis abundantia & ὀργασμὸς, absque omni exceptione ad Venam festinandum; imminentis enim periculi eventus magis reformidandus quam noxa ex non preparato corpore.

Cornacbin.
meth. in
puls. Com.
de Warvich.
Helmont. c.
4. de Febr.
n. 41.

Tulp. l. 2.
obs. c. 1.

Fern. l. 2.
M. c. 14.

M. Pr. l. 2.
p. 243.

42. De Venarum electione; non minus præclare quam prolixè *Sennertus*: cujus distinctioni calculum nostrum adjicimus, & nunc lateris affecti, nunc oppositi Venam esse secandam statuimus. Sed cum conditiones l. c. propositæ rarius consentiant, rarior etiam erit opposita sectio.

43. Quantitatem Evacuationis ad Inflammationis & Plethoræ magnitudinem, viriumque robur moderabimur: eâ cautione, ut potius in defectu peccemus quam in excessu, si præsertim Derivationis gratiâ sectionem repetere decretum sit. Quod si autem prægressa fuerit spontanea aliqua Sanguinis evacuatio per Nares, Hamorrhoides, Menses; artificialis vel suspendenda vel minuenda. Si Mensium fluor instet vel adsit, justo tamen partior & tardior, Vena Tali potius placet quam Brachii, ne Naturæ conatus invertatur. Viribus infirmis cogimur ad Cucurbitulas.

a) Gal. Com.

Aph. 24. §. 1.

b) 13. M. M.

18, 20. Hipp.

de R. V. in

Ac. t. 37.

c) 6. §. 16. & l.

3. de Morb.

t. 34.

d) in Intro-

duct. c. de

Pleuritide.

e) 16. Obs. 33.

in Schol.

f) Sim. Pauli

Quadrip. cl.

2 p. 79.

g) l. 16. obs. 33.

Schol.

h) Rhodol. p.

2. c. 33.

44. Jam de *Purgatione* consilium ineundum est. Rarò enim sanguis tantùm peccat copiâ, sed ut plurimum biliosi quid miscetur, unde fluxionis quasi stimulus. Quia tamen ratione tum Febris (a) tum inflammationis (b) Purgatio non adeò videtur conveniens, cauti sumus in exhibendis pharmacis, ne fluxus Alvi cõcitetur, qui v res, in quibus omnis spes salutis, dejiciat; memores nimirum tum monitorum *Hippocratis* (c) & *Galenii* (d) tum Eventuum infelicium, quos recitat ex *Gvainerio Forestus* (e). Vel igitur blandis duntaxat Enematis pugnandum ex Consilio *Rondeletii*, vel, cum Clysteres plerumque nostrates abhorreant, mitioribus illis *Manna*, *Cassia*, *Tamarindis*, *Syr. Rosat.* & *Violat. solutivo*, quo nulla ratio effingere unquam potest Pharmacum Pleuriticis convenientius (f). *Diapruno s. Laxativo*, *Diacass.* *Diacatholic.* &c. quibus stimuli loco *Cremor vel Crystall.* ¶ *veletiam Rhabarbari* aliquid possit adjici sine periculo.

45. Vomitus prorsus exulet, auxilium absonum & incommodum; & ita non solum *Cataputia semen*, cujus meminit *Forestus* (g): *Rosa mineralis* quam in Pl. commendat *Rosenberg.* (h) sed & *Aqua ipsa licet Benedicta Rulandi*, quam tamen in

Centu-

Centuriis suis contra Pl. toties & tantis maectat encomiis. Laborant enim partes superiores, & motu ingenti, quem requirit hæc excretio, concutiuntur latera, unde Dolor intensior & major humorum affluxus, quâ ratione etiam cibi rejectionem per vomitum th. 40. dissuasimus.

46. Universalibus ita præmissis propius ad Affectum, ipsum accedimus, causamque Continentem. Ad cuius evacuationem cum Natura, methodo solertissimâ & admirabili, destinaverit Derivationem illam sanguinis ad Pulmones, ex quibus materia plerumque per sputum, rarius per Urinam, rarissimè per Alvum ejicitur; motus Naturæ sedulo observandus, ut à Naturæ ministro non invertatur, sed juvetur, vel Expectoantibus vel Diureticis, vel Alviducis.

47. Si itaque contigerit ad Alvum aliquando derivari materiam, non sistenda nec etiam citanda electivè purgantibus; Sed, ne à Calore febrili & Decubitu supino siccetur, satisfuerit blandis eam humectare & sollicitare Enematis, quæ aliàs hîc commendantur. Si ad Vias Urinarias, Diureticis agendum, sed illis temperatioribus vel simul refrigerantibus. Diureticorum usum in Pl. magnificisse videtur *Aquapendens*, attestante *Bottero ad Horstium*.

l. 1. Ep. 12.

48. Expectoantia imprimis in usum trahenda quia plerumque per sputum judicatur Pleuritis. Illa vel præparant tantum Humores, tum incrassando tum attenuando, ut ad expectoandum fiant idonei; vel simul ob accedinem quandam facultatem expultricem irritant. Ex irritantibus præcipuum est *Oxymel*, *Sp. Ol. Succus Citri*, quæ tamen cautè admiscenda, ne Tussis nimium irritetur. Ex Præparantibus, incrassant *Viola*, *Semen Malva*, *Papaveris*, *Jujuba*, *Sebesten*, *Pinea*, *Tragacanthum*: Attenuant *Hyssopus*, *Capillus* ♀, *Scabiosa*, *Marrubium*, *Radix Iridis*, *Helenij* & alia.

pag. 760.

49. Interim dum hæc fiunt, nequaquam insuper habenda sunt ea quæ Febrem mitigent, Humores alterent, ipsamque causam

causam continentem discutiant. Unum enim Hostem va-
rius oppugnare machinis quid obstat?

50. Febris nimirum refrigerantia postulat, à quibus hic
absit omnis adstrictio: Talia sunt *Hordeum, Semina frigida,
Viola, Mala citria, Cichoracea omnia*. Humores alterant, si
peccent Calore, eadem Refrigerantia; Si crassitie, Atte-
nuantia; si tenuitate, Incrassantia: Utraque §. 48. recen-
suimus, ex quibus Attenuantia calidiora frigidis attempera-
ri queunt: si tandem malignitate, Bezoardica.

51. Causæ continenti opponuntur illa, quæ occultâ &
peculiari qualitate hic prodesse creduntur: Qualia sunt
hujus Morbi appropriata: *Flores Papaveris erratici, Carduus
Maria, Benedictus, CC.* cujus crudi rasuram decoctam in Pleur.
contagiosâ efficacissimam expertus est *Horstius, Oculi 69, lapi-
des Percarum, Dens Apri, Viscus quernus, & alia*. Hæc toto
Morbi tempore exhibenda, & circa declinationem ad su-
dorem usque, quem efficacius movent, *Sales Plantarum, Car-
duorum, Hyperici, Millefolij: Chymicorum Sp. ♂. ♀. Bezoar-
ticum Minerale & Antimonium Diaphoreticum*. Hæc omnia
ita misceantur ut simul pluribus satisfiat indicationibus, mo-
dò non sint pugnantes.

52. Externa quoque Medicamenta juvamentum pro-
mittunt egregium, tum Dolorem mitigando, tum Expecto-
rationem & Discussionem promovendo, aded ut fotibus so-
lis non tantum initio, sine præmissis Universalibus Pleuriti-
des discutiantur mitissimæ, sed & in Morbi progressu Do-
lor profligetur, arietibus aliis inexpugnabilis. Talia sunt,
Lac, olea varia, Malva, Chamamelum, quod quidam frustra
accensent Repellentibus, *Melilotus, Althæa, Radices Lil. Fæ-
nugr. Crocus. Omentum pingue calefactum & unguentum Dial-
theæ cum Semine Cumini insperso* commendat *Platerus. Ma-
nipulus florum crudorum cum cinere querno coctorum*, vulgi est
experimentum. Horum usus est, ut à mitioribus cum
Morbo progrediente progrediamur ad valentiora, quibus
nonnulli *Cucurbitulas adnumerant & Sinapismos & Picationes.*

Modus

Epist. 1.9.1.

Modus adhibendi est per Inunctiones, Cataplasmata vel Fomenta. Liquida Vesicis applicantur & omnium commodissime Spongiis, quas circumdant linteola, ut tardius refrigerentur & odoris nares ferientis exhalatio præpediatur.

53. Methodus hæc curandæ Pleuritidis in constitutionibus Epidemii & pestilentibus admodum turbabitur. Si enim potentius prohibeat Malignitas quam indicet Inflammatio, etiam Alexipharmacis postponenda erunt cætera Remedia. Collationem autem virium Prohibentis & Indicantis docebunt non tam Ratio quam Experientia ex Juvantibus & Lædentibus.

54. Hæc sunt media illa quibus promovetur Excretionis modus, omnium scilicet frequentissimus. Non autem per Excretionem tantum finiri Pleuritidem, th. 33. diximus sed & per Suppurationem & Permutationem: addunt etiam Corruptionem & Indurationem. Sed cum affectus singuli, quos excitat Materia aliorum translata, singulas requirant exercitationes, Metastasin deserimus; sic & Corruptionem, quæ lethalis; & Indurationem quæ rarissima; Suppurationem extremis tantum digitis monstraturi.

Gal. 3. Epid.
f. 2. c. 3.

55. Cum nimirum ex signis conjecerimus suppuratum iri materiam, Discutientibus externis Maturantia commiscenda sunt. Discutientia autem interna non sunt omitenda. Quantum enim valeant hæc, etiam Suppuratione jam factâ, expertus est ipsemet Fabricius, qui sectionem veritatis materiam ex Pleuritide collectam Decocto sudorifero se discussisse testatur. Hoc ut rarissimum, ita Puris evacuationem per alias vias potius expectabimus. Si Natura tentet eam per os, alvum vel vesicam, commodum satis est nec impossibile, quod confirmant Observationum Medicarum Historiæ. Elegantem materiæ pleuriticæ tantum, per Vesicam expurgatæ recenset Fabric. Sectio & Ruptio sunt extrema Remedia, sed utrumque periculosum, de quibus consulantur Autores.

C. 3. obs. 40.

C. 2. obs. 31.

C

56. De

56. De *Empyemate*, in quod per ruptionem Vomicae tran-
sit Pleuritis, hoc saltem subicimus, illud integris Pulmoni-
bus per sputum expurgari non posse, proin plerumque tran-
sire in Phthisin. Ubi autem sine exulceratione pulmonum
legitur per superiora pus integrè esse evacuatum, ruptio-
nem progressam esse non est verosimile. Sed quemadmo-
dum vomicae Pleuriticorum per Alvum & urinam sine ru-
ptione possunt expurgari, ita & per sputum. Vias in qua-
stione dabimus: per quas enim materiam pleuriticam ante
Suppurationem, per has & pus derivamus ad pulmones.
Hinc omnium Symptomatum ratio evidentissima, quæ ru-
ptioni Apostematis nequaquam possunt adscribi. Talia sunt
l. 60. obs. 40. Syncope, Tremor Cordis, Palpitatio vehemens, Dispnoea, Suffoca-
in Schol. tio & alia apud Forestum. Consideratu dignissima sunt illa
§ 41. quæ habet idem: *Solet materia plurima aliquando quæ SUBI-*
l. 16. obs. 50. TO è vomica evomitur, facta ruptione SUBITO effundi circa
Schol. præcordia. Sic abbi quotidie Puris totas pelves vidit reje-
de Med. Pr. ctas; Galenus decem & plures Heminas, quarum quælibet 10.
Hist. l. 2. H. 25 habet uncias; Alii plus minus de quibus *Zacut. Lusit.* Quis
autem Mortalium crediderit tam subitanam, tam copiosam
puris crassi translationem fieri per Tunicas & Substantiam
Pulmonum illasam. Credant id qui nondum ære lavan-
tur, & qui poros Tunicæ Pisi majusculi magnitudinem ad-
æquare crediderint. Nos, aut partes illas temporis pro-
gressu exesas esse à pure censemus; aut suppurationes pleu-
riticorum, citra ruptionem, per vias in quæstione datas,
expurgari credimus. Qui dubitat Pus absorberi posse à Va-
fis, & alioquin ad Excretionum ostia transferri, ille conside-
ret Naturæ sagacitatem in expurgandis aliis abscessibus.
Interiores transibimus. Miremur saltem, purulentam &
fœtidam faniem è Brachii vulnere redditam esse per alvum,
apud *Paracum*, qui & aliis duobus id accidisse testatur. Mi-
remur, Tumorem circa genu per vomitum evacuatum: mi-
remur ex abscessu coxæ, per os redditam esse ingentem puris
56. Restat

l. 60. obs. 40.
in Schol.
§ 41.

l. 16. obs. 50.
Schol.
de Med. Pr.
Hist. l. 2. H. 25

Barthol. A.
natom. l. 2.
cap. 9.

l. 10. c. 12.

cōpiam apud Horst. Ita *αἰεὶ ἐὼς ἢ φούρις αὐτῆ ἐωυτῆ τὰς ἐφό-* l.4. part. 2.
δὲ σὺν ἐκ Νεοαἰνῶ! obs. 15.

57. Restat tertium Curationis Instrumentum, Diæta, in **DIÆTA.**
Veterum & Recentiorum voluminibus decantatissima. Adeò enim erant accurati Veteres in hoc Morbo ut ferè superstitionis culpam incurrerint. Nostri homines præceptis tam exquisitis non assveverunt, qui tanto melius cum ægro rentur agi, quanto plus cibi ingurgitat.

58. *Aerem* requirit Febris frigidum, sed hunc non tolerat partis affectæ conditio, frigidum enim partibus nervosis inimicum: nec inflammatio ratione seu discussionis seu suppurationis. Sit itaque, ut in neutram partem peccetur, temperatio.

59. Ex *Cibis* commendatissimus est Ptisanæ cremor, quem pro Morbi ratione variant adjectis jam Seminibus frig. in Calidioribus; jam Melle, in frigidioribus succis & tenacioribus; etiam Pineis & Amygdalis dulc. non rancidis, ut sputum facilitetur. Procedente Morbo ad victum pleniorē ad Ptisanam integram cum Juscul. carn. Ova, carnes ipsas progredimur. Evitanda omnia salsa, Acria, Acida, Adstringentia. Ridendi sunt, qui, ne Arabes errorem commisisse viderentur, Lentas concedunt, licet non ut Alimentum, tamen ut Medicamentum. Etiam *Potum* communicat Hordeum cum Glycyrrhizâ, Passulis aliisque Thoracis decoctum: ab aliis Mulla magnifit. Vinum venenum, quamdiu viget Febris & Inflammatio.

60. *Somnus* si sit nimius Sputi rejectionem præpedit, *Vigiliæ* vires dejiciunt; ideò requiritur & hîc mediocritas: hæ Remediis suis ejiciendæ, illum facilè dolor & febris excutiunt. *Quies* & dolori & morbo convenit. *Motus* adversissimus. *Alvi* lege naturæ fluentis beneficia & Clysteres supra satis commendavimus. Hîc igitur pedem figamus, Coronidis loco saltem inquisituri;

Per quas vias Materia in Pleuritide perveniat ad asperam Arteriam?

Materiam peccantem in Pleuritide plerumque per Sputum expurgari in confesso est, per quas autem vias instituat. *Ἐκκρεσις* illa, satis obscurum: hinc quod fieri solet in rerum obscuritatibus, Medici in diversas abierunt sententias. Alii *συμπνοίας καὶ ξύρροιας* Hippocraticæ prætextu muniti, vi vias quæsiwere, rectà per Pleuram & Tunicam Pulmonum penetrantes. Alii hoc impossibile rati, succingentis inflammationem negarunt judicari per sputum, Sputo autem apparente necessariò simul affici Pulmones. Quid de his sentiamus paucis expediemus.

Qui Transsudationem statuunt, videntur non minus abuti Autoritate *Hippocratis*, quam illi qui materiam peccantem in Colica derivant ad Medullæ Spinalis nervos, per Intestinorum & aliarum quarumvis partium tunicas, quos hoc nomine carpit *Sennertus*. *Σύμπνοια* sanè & *Ξύρροια* illa non excludit vias per vasa, ut præclare post *Platerum* sentit *Sennertus* noster. Licet enim detur id sensitse *Hippocratem* quod vulgò creditur, excusandus tamen ob infelicitatem rudioris illius ævi, quò, quia nondum innotuerat Structura corporis Humani tam accurata, non mirum est, quadantenus etiam latuisse vias, per quas tam mirificus oriatur Humorum in corpore motus. Et quæ quæso fiat illa Transsudatio? Alienissimum est ab Inflammationibus transsudare sanguinem. Si fides habetur Sensibus, considerentur partium externarum Inflammationes. Per Cutem, licet porosa, Sanguis transsudat nullus, etiamsi accedat Compressio partis inflammatae violentissima. Sic in Epatis, Lienis ventriculi nullus, nullus in Diaphragmatis & Meningum Inflammationibus. Transsudet autem, nonnè destillabit in Thoracis cavitatem, ubi crassescet, putrescet & in Empyema transmutabitur? Tantam enim copiam, quanta sæpè rejicitur, à Pulmonibus per tunicam imbibi, ut ne-

quic-

l. 2. Inst. 3.
2. 5.
M. Pr. l. 3.
p. 573.

quicquam per latera destillet, fidem superat. Concludimus igitur, ut, in cœteris Inflammationibus, ita & in Pleuritide Transsudationem illam per vias occultas esse planè fictitiam.

Alios itaque, quorum caput *Platerus*, aliorum abripuit Transsudationis absurditas: Censent enim Pleuram nullatenus expurgari posse per Sputum, quod si compareat, necessariò simul inflammari Pulmones. Verum hi nimis rigidi videntur. Etsi enim simul affici possint Pulmones ob vicinitatem, ut in Phrenitide cerebrum, non tamen necessarium est, ut simul inflammentur. Alias enim venas habent Pulmones, alias Pleura, ita, ut seorsim hæc, seorsim illi possint inflammari, sine communicatione materiæ. Quamvis nec negemus cum *Sennert.* harum partium Inflammationes aliquando posse conjungi, cum invicem aliquando per materiæ metastasin permutentur. Veram autem Pleuritidem h. e. succingentis Inflammationem non posse expurgari per sputum, non evincunt illi per hanc rationem, *vias manifestas non dari, quibus se exonerare possit succingens.* Omnino dantur. Non quidem occultæ illæ, quas supra relegavimus, sed satis manifestæ, quasnam nominet *Sennertus* noster, videatur.

*l. 2. Pr. 2. 16.
quest. 3.*

Nos si in re obscura conjecturari liberum est, censemus, per easdem vias materiam peccantem ex Pleurâ pervenire ad Pulmones, per quas Pleuritidis in Peripnevmoniam fit Transmutatio. Hanc autem fieri verò consentaneum est, non nisi per Venas in Pleuram desinentes, imprimis ἀρτηρίας. Quis enim censeat, Translationem hanc materiæ peccantis ferè subitanam fieri per membranas & vias cœcas, nisi ipse cœcutiat? Quod si hic via concedatur manifesta in totius materiæ metastasi, quidni etiam in successivâ partis diadosi? Dubios vix nos relinquit Via tam brevissima quàm amplissima. Hæc autem talis est. Humor ex parte turgente per ἀρτηρίας in Cavam, pronoque impetu per dextrum cordis ventriculum, unde nonnunquam frequentes lipothymia,

miæ, in Venam arteriosam adeoq; in Pulmones regurgitat: ex his ab arteriæ asperæ radicibus absorbtus tussi rejicitur. Si igitur materiæ furibundæ tota colluvies refundatur per has vias, ex Pleuritide fit Peripnevmonia; vel intercepta Respiratione Mors cita sequitur; vel Syncope lethalis, cujus historiæ à Foresto annotatæ has vias satis confirmant. Si pars regurgitet, major tamen quantitas, quam ut per Sputum possit rejici, Pleuritidi supervenit Peripnevmonia, atque ita ob causam divisam affectus hi conjunguntur. Si tandem sensim materia peccans per easdem vias derivetur, sensim etiam sine noxâ Pulmonum excernitur. Admirabilis hæc est Naturæ sagacitas. 1. *Materia in partem effusa intra vasa recipitur.* 2. *peculiariter evacuatur derivationis specie.* 3. *per partes nobiliores.*

Recipi stomiis vasorum sanguinem effusum non est incredibile, quia pus recipitur, quod th. 56. comprobant historiæ. Rarissimum hoc est, inquis. At frequenter satis videas ab impulsu frigoris flaccescere variolas retrocedente materiâ. Sed hunc motum violentum asseris. Considerandas igitur proponimus Inflammationum crises per hæmorrhagiam nativam, earum mutuas transmutationes, ipsiusque Pleuritidis conversionem in Peripnevmoniam. Si prægressa est Pleuritis, sanguis influxit; si successit non per *ἰσχυρῶς* sed *μετὰ τὸ τῶσιν* Peripnevmonia, sanguis influxus retrocessit. Transmutationes enim Inflammationum non nisi per vasa fieri supra diximus.

Sed cur non omnibus inflammationibus familiares sunt ejusmodi Evacuationes, cur ista ferè peculiaris Pleuritidi? Causa si quam dare possis, rejicienda videtur tum in insignem *αἰσῶς* amplitudinem, tum in Respirationis motum & Tussim, quæ tanta vi commovet sanguinem, ut, dum aliquando venâ sectâ non flueret dolore lateris retractus, non nisi per Tussim potuerit expelli.

Vias

Tulpius l. 2.
obs.

Vias tandem per viscus nobilissimum molitur Na-
tura, non errabunda, nec libera, sed coacta, quia aliter non
poterat. Cum periculo igitur, si materia transiens vel
quantitate peccet, hinc suffocatio: vel qualitate, hinc
lipothymia, Syncope, palpitationes. Sine damno, si con-
tra. Quæ afferri solent ab aliis contra vias has, declinat
partem Conringius de Sangvis. cap. 38. pag. 302. & 44. pag.
364. partem Zacut. L. 1. 2. Hist. M. Pr. 26. Nos hic constitui-
mus & intricatissimam hanc controversiam felicioribus

Naturæ Causarumque scrutatoribus
relinquimus.

TANTUM.



Ad Eximium

DN. RESPONDENTEM Contubernalem
& Confalinum suum amicissimum.

Nemo triumphalem sperato capessere Laurum,
qui patrio latitans sub Lare bella fugit.

Audeat, adversusq; suos exterreat hostes:

Audentem expectat Laurea sacra Virum.

Miles es: hostiles multis movisse videris

hactenus, at nondum sustinuisse minas.

Tentis; non minor est, bello consistere, virtus,

quàm stanti, frustra sepe, parare fugam.

Auguror, eximius stabis sine sanguine Victor,

Venturum Capiti spondet Apollo docus.

PRÆSES.

PER-

PER-EXIMIO
DN. RESPONDENTI,
AMICO SUO.

TOtus Homo Morbus: patimurq; sub æthere manes
Quisq; suos. Polus unus habet constanter Hygéam,
Et quidquid Polus ipse tenet. Nos cerea flecti
In lethum plebes, & inemendabile fatum,
Nascendo morimur, finisq; ab origine pendet,
Debemur morti nos, nostraq; Vos, Medicorum
Eximia soboles, agris defendite mortes
Corporibus, queis Omnipotens tot dona medendi,
Virtutesq; dedit. Tu coeptum strenuus urge,
TARNOVI, quod pergis, iter: PLEVRITIDOS ictus
Aggredere in præsens, & divitioribus auctus
Ingenii posthinc opibus. feliciter omnem,
Quæ nos cunq; petit, Morborum funde phalangem.


Ita benè ominabatur

M. SAMUEL POMARIUS,
SILESIUS.

F I N I S.








ULB Halle 3
002 684 632



Vb 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

IO MEDICA

1644 3

23

25

ITIDE,

minis auspicio
ssimæ Facultatis

ICÆ

ioni subjiciunt

SES

IS GRASSIUS,

ED. L.

DENS

ARNOVIUS,

ufatus.

ERGÆ

Medicorum

Maji.

IL.

NERUS, Acad. Typogr.

